



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. III. Vtrum ut omissio, & effectus ex illa secutus, sint voluntaria, requiratur debitum, seu obligatio ponendi actum qui omittitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](#)

22. Objicies secundò: Modus operandi liberè est A perfectior modo operandi necessariò: Ergo in modo operandi liberè, perfectior ratio voluntarij reperiit debet. Consequentia videtur bona, Antecedens probatur: quia modus operandi liberè convenit naturæ rationali, secundum gradum perfectionis, quem habet super irrationalē; modus verò operandi necessariò, est communis ipsi naturæ rationali cum inferioribus naturis.

23. Respondeo distinguendo Antecedens: Est perfectior modo operandi necessariò, qui sequitur cognitionem imperfectam, concedo Antecedens: modo operandi necessariò ex perfecta cognitione, nego Antecedens. Ad probationem B dico, quòd sicut modus operandi liberè est proprius naturæ rationalis, quatenus excedit omnes alias naturas inferiores; ita & modus operandi necessariò sequens perfectam cognitionem, ut patet in amore beatifico: ille enim convenit creaturæ intellectuali, prout omnes alias naturas inferiores excedit.

24. Objicies tertio: Voluntarium liberum est magis ab intrinseco & ex perfectiori cognitione finis, quam voluntarium necessarium: Ergo voluntarium liberum excedit necessarium in ratione voluntarij. Consequentia patet ex suprà dictis, Antecedens probatur primò quod pri-mam partem: quia voluntas liberè agens magis moveat seipsum, quam cùm necessariò agit; nam inclinatio naturalis, est ab Authore naturæ impressa; libera autem à voluntate in seipso omnino producitur: Ergo voluntarium liberum est magis ab intrinseco, quam voluntarium necessarium. Probatur etiam idem Antecedens quoad secundam partem: Qui cognitione concurrens ad actum liberum, non solum proponit objectum, sed etiam influit in operationem ipsam; cùm enim sit deliberatio rationis, deliberat de ipsa operatione, ac proinde influit in illam; quod non facit cognitione requisita ad actum necessarium: Ergo voluntarium liberum est magis ex cognitione finis, quam necessarium.

25. Respondeo negando Antecedens. Ad probationem primæ partis dico, voluntatem non magis movere seipsum ad actum liberum, quam ad per se necessarium: imò magis se moveat ad per se necessarium, ut patet in amore Dei in patria, ad quem voluntas se moveat totis suis viribus; quod non ita præstat in amore libero, quem elicit in via. Nec obstat quòd inclinatio naturalis sit ab Authore naturæ impressa: nam ut ait D. Thomas h[ic] art. 1. *Licet de ratione voluntarij sit quòd principium ejus sit intra: non tamen est contra rationem voluntarij, quòd causetur vel moveatur ab exteriori principio: quia non est deviatione voluntarij, quòd principium intrinsecum sit principium primum.*

26. Ad probationem secunda partis, nego quòd in actu necessario sit judicium solum de bonitate objecti, non verò de ipsa operatione voluntatis: nam per visionem beatificam v. g. non solum manifestatur summa bonitas ex parte objecti ut amabilis, sed etiam ipsum exercitum actus amandi ita representant bonum & conveniens, quòd cœlestis ab illo non potest apprehendi ut appetibilis: Ergo judicium prædicum quod formatur ex visione beatifica, non solum judicat de bonitate objecti, sed etiam de convenientia actus; non minus quam judicium prædicum quod regulat actus liberos.

ARTICVLVS III.

Vtrum ut omissione, & effectus ex illa sequentur, sint voluntaria, requiratur debitum, seu obligatio ponendi actum qui omittitur?

C O M M U N I T E R dici solet ad omissionem voluntariam requiri hac tria, posse, tenere, & non facere. Et quamvis de primo & tertio nulla sit controversia, de secundo tamen non est ita certum & exploratum: aliqui enim existimant tam omissionem, quam effectum ex illa sequutum, esse voluntaria, licet nullum sit præceptum, vel obligatio ponendi actum omissionis. Ita Salas h[ic] disp. 1. l. 3. c. 4. num. 46. Alij, ut Martínez, Alvarez, & Joannes à S. Thoma, distinguunt inter omissionem & effectum, & hunc fatentur non esse voluntarium indirecte, quando non est obligatio ponendi actum omissionis; de ipsa vero omissione id negant. Alij cum Caietano & Conrado contendunt præceptum seu obligationem ad utrumque requiri, id est, ut tam omissione, quam effectus ex illa sequitur, censeantur voluntaria. Aliqui tandem, volentes ad concordiam prædictas sententias reducere, dicunt debitum, seu obligationem ponendi actum, requiri ut omissione & actus ex illa sequentur sint voluntaria, moraliter seu culpabiliter (quia non est culpa nisi sit transgressio præcepti seu legis; ubi autem non est lex, nec prævaricatio, ut dicitur ad Romanos 4.) non verò ut sint voluntaria physice & inculpabiliter: ad hoc enim lex aut præceptum indifferenter se habent.

§ I.

Præmittenda ad resolutionem questionis.

D S U P P O N O primò: Aliquid posse dici voluntarium dupliciter, scilicet in potentia, & in actu: ut dicatur voluntarium in potentia, sufficit ipsum esse in potestate voluntatis, tanquam in causa quæ habeat facultatem ad ipsum; quo pacto ambulatio homini sedenti dici potest voluntaria, quia in potestate ipsius voluntatis continetur: ut verò aliquid sit voluntarium in actu, requiritur insuper quòd illa facultas voluntatis sit aliquò modo redacta in actu, seu habeat aliquam causalitatem respectu ipsius. Ratio utriusque est, quia voluntarium importat habitudinem ad voluntatem ut ad causam; Ergo ut sit voluntarium in potentia, sufficit quòd voluntas habeat potestatem in ipsum; ut autem sit voluntarium in actu, necessaria est aliqua causalitas voluntatis respectu illius.

E Suppono secundò, voluntarium in actu ad-huc esse duplex, unum directum, & aliud indirectum. Directum est illud quod procedit à voluntate per verum & positivum influxum, sive immediate, sive mediare; unde est aliquis actus à voluntate elicitus, vel ab ea imperatus. Indirectum est illud quod non procedit quidem à voluntate, sed tamen ei imputatur, quia connectionem habet cum aliquo ab ipsa directe volito; & hoc vocatur etiam *voluntarium interpretationis.*

F Suppono tertio, requiri necessariò ad quodcumque voluntarium, quòd objectum sit cogniti-

M. iii

28.

29.

16.

tum, saltem in communi & confusè: quia ut A communiter dicitur, *nihil volitum quin præconitum*. unde ut omisso & effectus illam consequens, sicut voluntaria, debet omittens advertere; adçòque si quis absque ulla cognitione seu prævisione missæ, audienda somno se dederit, ratione cuius missam non audiat, non censabitur illa omisso voluntaria, sed ex mera obliuione processisse dicetur. Hac sunt certa & indubitate apud Theologos. Sed difficultas & controversia est, an præter advertentiam requiratur insuper debitum, seu obligatio ponendi actum qui omittitur, ad hoc ut ipsa omisso & effectus ex illa sequens, sicut voluntaria in actu: nam utrumque esse voluntarium in potentia, ante omne præceptum, extra dubium & controversiam est.

S. II.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur: Ut omisso, & effectus ex illa sequens, sicut voluntaria, requiritur debitum, seu obligatio ponendi actum qui omittitur.

31. Probatur primò ex D. Thoma híc art. 3. ubi utramque partem nostræ conclusionis satis aperè docet. Nam primò loquens de effectu ex omissione sequento, sic ait: *Sciendum quod non semper id quod sequitur ad defectum actionis, reducitur sicut in causam in agens, ex eo quod non agit, sed solum tunc cum potest & tenetur agere.* Et affert exemplum illius cui non esset commissa navis gubernatio: licet enim ille prospiciat, quod si non gubernet navim, submergetur; illi tamen non imputatur navis submersio, quia non tenetur eam gubernare. Postea verò loquens de ipsa omissione subdit: *Quia igitur voluntas volendo & agendo potest impeditre hoc quod non est velle & non agere, ET ALIQVANDO DEBET, ideo non velle & non agere imputatur ei quasi ab illa existens.*

32. Duplex solutio solet huic loco adhiberi: prima est, quod D. Thomas loquitur non de ipsa omissione in se, sed de effectu sequento ad illam: secunda verò, quod loquitur de omissione in quantum culpabili, non ut voluntaria est præcise.

Utraque tamen insufficiens est: Prima quidem, quia licet S. Doctor initio articuli de ipso effectu ad omissionem subsequente loquatur, postea tamen loquitur de ipsa omissione in se considerata, ut patet ex verbis ultimò relatis. Addo quod D. Thomas in hoc articulo inquirit, utrum voluntarium possit esse absque omni actu? & responderet posse esse, suppositis illis duabus conditionibus, quod scilicet voluntas possit & debeat: cùm ergo voluntarium quod potest esse absque omni actu, sit duplex, scilicet omissionis, & effectus ad illam sequens; si de solo effectu loqueretur, diminuè omnino procederet, relinquens unam & principaliorem partem difficultatis, quæ est de ipsa omissione, ratione cuius effectus est voluntarius.

Secunda verò solutio ex eo rejicitur, quod D. Thomas non solum loquitur de omissione ut imputabili, sed ut existente à voluntate, & prout reducitur ad ipsam ut causam; ut patet ex prioribus verbis: *Non semper reducitur sicut in causam in agens, sed tunc solum cum potest & debet;* & ex posterioribus, cùm dicit: *Non velle*

& non agere imputatur ei, quasi ab eo existens. Sed existeret à voluntate, & reduci in ipsam ut in causam, non solum pertinet ad imputabilitatem, sed etiam ad ipsam rationem voluntarij: Ergo ad talē rationem voluntarij requirit D. Thomas obligationem & debitum.

Præterea, S. Doctor in præsenti solum agit de voluntario in communi, abstrahendo à ratione boni; de hoc enim infra acturus est qu. 18. Ergo ejus resolutio de voluntario in esse physico, non verò in esse morali, debet procedere.

33. Probatur secundò conclusio ratione fundamentali, & simul præcipuum Adversariorum fundamentum convellitur. Ut aliqua omisso sit voluntaria indirectè, debet contineri virtualiter in aliqua actione incompossibili cum ea quæ omittitur, tanquam in causa: v. g. ut omisso Missæ censeatur voluntaria indirectè & interpretativè, debet contineri virtualiter & tanquam in causa in volitione studij, vel ludi eō tempore quō celebratur missa: At seclusus præceptō, virtualiter in ea non continentur: Ergo illō remotō non est voluntaria, etiam indirectè & interpretativè. Major continet præcipuum fundamentum Adversariorum: ideo enim volunt omissionem Missæ v. g. in die in quo non est obligatio illam audiendi, esse indirectè seu interpretativè voluntaria, quia voluntas omittendi seu non audiendi missam, in actu incompossibili, qui tempore Missæ exercetur, putat studiō, virtualiter & interpretativè continetur. Patet etiam eadem Major ex dictis in secunda suppositione: Voluntarium enim indirectum est illud quod non procedit directè à voluntate, habet tamen cum aliquo directè ab ipsa volito connexionem: Ergo ut aliqua omisso indirectè & interpretativè sit voluntaria, debet virtualiter contineri in aliqua actione directè volita, & cum ea quæ omittitur incompossibili.

Minor autem, in qua est difficultas, sic ostenditur. Hoc inter negationem & privationem reperitur discriberi, quod negatio nullum habet fundamentum, benè tamen privatio; unde privatio in alio ut in causa potest contineri, non tamen pura parentia vel negatio: At seclusus præceptō audiendi missam, ejus omisso non habet rationem privationis, sed tantum pura parentia, & negationis: Ergo illō remotō, ea non continentur virtualiter, & tanquam in causa, in actu studiō vel ludendi, qui tempore Missæ exercetur, sed hujusmodi actio mèrè indifferenter & concomitanter se habet in ordine ad illam; & sic manet illa omisso permissa, sed non voluntaria; sicut peccata hominum sunt permissa à Deo, sed illi non voluntaria, quia non tenetur ei impeditre, nec auxilia efficacia ad ea vitanda præstare, ut infra latius expomus. Major & Consequentia patent: Minor autem suadetur. Nam sicut in physicis, quando aliqua forma est debita inesse subiecto, ratione dispositionum, ejus parentia habet rationem privationis; quando verò non est illi debita, ejus parentia solum est negatio: ita in moralibus omisso actus habet rationem privationis, quando actus illi oppositus est debitus subiecto; quando verò non est illi debitus, rationem pura negationis & parentia: At seclusus præceptō, actus omissioni oppositus non est debitus subiecto, ut patet; ejus enim debitus seu obligatio non aliunde provenit, quam à lege seu præcepto ad illum obligante: Ergo illō

DE VOLUNTARIO ET INVOLUNTARIO.

95

remotō omissione Missæ non non habet rationem privationis, sed tantum puræ carentiæ & negationis.

34. Confirmatur: Omissione Missæ non potest causari à studio, nisi caufetur, vel ut privatio, vel ut negatio: At secluso præcepto, neutrō modō potest causari: Ergo illō secluso non potest in studio tanquam in causa virtualiter contineri. Major patet, Minor etiam quantum ad primam partem evidens est. Nam privatio est carentia formæ debitæ inesse subiecto: secluso autem præcepto, non est debitum nec obligatio audiendi Missam: Ergo illō non stante, omissione Missæ non potest causari à studio tanquam privatio. Probatur verò quantum ad secundam. Ut omissione in ratione negationis dicatur verè fieri, debet priùs non esse: Sed omissione Missæ in ratione simplicis negationis erat ante studium, imò cùm homo dormiebat: Ergo non caufatur à studio in ratione negationis. Sicut ob eandem rationem forma quæ de novo communicatur materia, non est causa negationis omnium aliarum formarum, sed tantum formæ quæ erat in subiecto, vel ipsi debebatur ratione dispositionum; quia negatio aliarum formarum jam præsupponebatur in subiecto ante adventum formæ.

Confirmatur amplius: Si studium quod tempore Missæ exercetur, esset sufficiens ratio reducendi in voluntatem tanquam in causam omissionem Missæ, & efficieret illam indirectè & interpretativè voluntariam, etiam secluso præcepto; eodem modo esset sufficiens ad reducendum in voluntatem omissiones omnium actionum incompositibilium cum actu studendi, & efficieret omnes illas voluntarias & liberas: Sed hoc videtur absurdum: Ergo & illud. Sequela Majoris patet: nam si præceptum non est necessarium, non est major ratio unius quam alterius. Falitas etiam Minoris constat: quia innumere ferè sunt actiones incompositibiles cum studio, ut peregrinari, furari, fornicari, ludere, &c. & sic omissiones omnium illarum actionum essent illi voluntariae, & liberæ in actu secundo, habentque meritum & demeritum erga omnes illas: quod est absurdum.

35. Nec valet si dicas cum Joanne à S. Thoma, omissionem Missæ reduci in voluntatem tanquam in causam, non verò omissiones aliorum actuum incompositibilium cum actu studendi, quia ille qui vacat studio, ad omissionem Missæ advertit, non verò ad omissionem omnium aliorum actuum cum studio incompositibilium. Non valet inquam: quia cùm cognitio præcedens æquè se habeat ad volitionem & nolitionem, ad actum & omissionem, non potest secluso præcepto ipsam omissionem in voluntatem tanquam in causam reducere, eamque efficere voluntariam in actu, sed tantum in potentia, quatenus voluntas potest eam, vel actum ipsi oppositum eligere, ut ex solutione argumentorum patet.

37. Probatur tertio conclusio: Sine præcepto omissione nec est bona, nec mala in exercitio: Ergo neque voluntaria. Consequentia patet: nam juxta doctrinam D. Thome, non datur voluntarium indifferens in individuo, de quo infra qu. 18. art. 9. Antecedens verò probatur exemplò sepe adducto de omissione Missæ: illa enim secluso præcepto, nec videtur moraliter bona, neque mala: non quidem bona, quia omissione ope-

A tis boni, quod cadit sub consilio, non potest esse bona, saltem si fiat intuitu minoris boni, ut est ludus, vel studium: nec etiam mala, quia non est contra præceptum, cùm non detur, ut supponimus: Ergo sine præcepto omissione nec est bona, nec mala.

Denique suaderi potest conclusio specialiter quoad secundam partem, & variis exemplis ostendit, effectum qui sequitur omissionem non esse voluntarium, quando non adest præceptum seu obligatio eum impediendi. In primis peccata non sunt Deo voluntaria, etiam physis, quia nimis licet possit ea impedire, & non impedit, non tamen tenetur impediare, nec dare auxilia efficacia ad illa evitanda: Ergo ut effectus sequutus ex omissione sit voluntarius, requiritur obligatio illum impediendi.

Dices fortè, peccata idēo non esse Deo voluntaria, quia ea consiliō & præceptō impeditur.

Sed contrā: Licet Deus hoc modō peccata impedit, quia tamen potest magis adhuc ea impedire, auxiliō nimis efficaci, & non impedit, idēo si posse & non facere sufficiat ad voluntarium, peccata Deo voluntaria erunt. Et verò si Deus teneretur auxiliō efficaci impediare peccata, utique voluntaria illi forent, quantumcumq; consiliō vel præceptō ea impeditur:

C Ergo non propterea peccata Deo voluntaria non sunt, quia præceptō vel consiliō ea impedit, sed quia non tenetur efficaciter impedit; ut docet D. Thomas infra qu. 79. art. 1. ubi dicit quod Deus peccati causa etiam indirectè dici non potest, tamen aliquibus non præbeat auxilium, quod si præberet, non peccarent: quia hoc rōum facit secundum ordinem sue sapientia & justitia, cū ipse sit sapientia & justitia: unde non imputatur ei quod aliquis peccet, sicut causa peccati. Sicut gubernator non dicitur causa submerzionis navis, ex hoc quod non gubernat navim: nisi quando subtrahit gubernationem, potens & debens gubernare.

In ejusdem veritatis confirmationem alia exempla ex humanis adduci possunt. Exiens quis v. g. ab Ecclesia, relinquit fores apertas, advertens venturum fortasse furem, qui & revera venit, & furtum committit: hoc tamen furtum ipsi non imputatur ut voluntarium, nempe quia non tenebatur fores claudere: contra verò idipsum voluntarium esset ostiario, quia tenetur fores claudere & custodiare. Item cùm quis omittit præbere cibum indigenti, mors inde sequuta non tribuitur illi ut voluntaria, si non tenetur subvenire, bene tamen si tenetur, juxta illud vulgarissimum Ambroſij dictum: si non pavisti (nempe esfidentem, cū id facere tenebaris) occidisti: hoc est, perinde te habuisti, ac si occidisses.

Addo quod non solum in omissione, sed etiam in ipsis actionibus, effectus per accidens sequenti non sunt voluntarij, nisi interveniat obligatio ad evitandos tales effectus: ut patet in muliere se decenter juxta statum suum ornante, ex quo ornato sequitur amor inordinatus in juvenc illam conspiciente; ipsa enim non tenetur hunc omittere ornatum, sicut nec attenuare pulchritudinem naturalem, quæ mulè magis incitativa est; nec recludi domo, ut ab aliis non videatur. Similiter qui urgente necessitate petit multum ab usurario, quem videt peccatum in exigendis usuris; aut qui petit Sacraenta à Parochio, quem videt in peccato administraturum,

38.

39.

40.

41. & non habet alium à quo commodè petat; neuter peccat, neutrique peccatum usurarij aut sacerdotis censetur voluntarium, quia neuter illud vitare tenetur, sed uterque iurum jure suo. Denique Confessarius & Medicus, qui ex auditio- ne confessionis, vel ex applicatione medicinæ, sentiunt naturalem carnis commotionem, non tenentur illa ministeria relinquere, quando necessaria sunt, sed solum non consentire, quia hoc solum est in potestate voluntatis.

42. Dices, effectus illos ex omissione, vel ex actione positiva per accidens sequutos, non esse quidem voluntarios moraliter seu culpabiliter, quia non imputantur ad culpatum, quando non est debitum seu obligatio illos impediendi; esse tamen voluntarios physicè, quia ad hoc, præceptum seu obligatio indifferenter se habet.

43. Sed contrà: Licet liberum physicè possit reperi- riri sine libero morali, in eo qui non est compo- pos perfectæ libertatis, ut contingit in amenti- bus, & pueris ante perfectum uitum rationis; isti enim priùs deveniunt ad deliberationem de bono & malo physicò, prout conveniens vel disconveniens est subiecto, quam deveniant ad deliberationem de bono & malo morali, prout est consonum vel dissonum regulis morum: in subiecto tamen perfectæ rationis compote, non potest dari libertas physi. sine morali; nec per consequens omissione, & effectus ad illam conse- quens, esse voluntaria physicè, nisi etiam sint voluntaria moraliter & culpabiliter.

44. Confirmatur, & magis explicatur: Sicut opus non potest non esse artificium, si procedat à subiecto regulis artis subdito; ita non potest non esse voluntarium morale, quod procedit à principio subiecto regulis morum: Sed voluntas operans ex advertentia perfectæ rationis, est subiectum regulis morum subditum: Ergo si se- mel ponitur quod omisso, & effectus ex illa se- quens, procedant à voluntate perfectè libera, non potest negari, quin sint moraliter & culpabiliter voluntaria. Ex quo sufficienter impugna- ta manet ultima sententia, qua afferri debitum seu obligationem ponendi actum requiri, ut omisso & effectus ex illa sequutus, sint voluntaria moraliter & culpabiliter, non verò ut sint voluntaria physicè & inculpabiliter.

S. III.

Solvuntur objectiones.

45. **O** BIIICIES primò: Quod est in potestate voluntatis, voluntarium est: Sed omisso missæ, etiamsi non sit præceptum, est in potesta- te voluntatis: Ergo est voluntaria. Minor patet: quia in potestate hominis est audire sacrum in die profecto, vel illud non audire. Major verò probatur: Nam ut ait D. Thomas hic art. 3. in ar- gumento, sed contra: *Illud cuius domini sumus dicitur esse voluntarium*: Sed domini sumus ejus quod est in potestate voluntatis: Ergo illud quod est in potestate voluntatis, voluntarium est.

46. Confirmatur: Qui omisso liberè, omittit vo- luntariè; voluntarium enim supponitur ad libe- rum, cùm liberum aliiquid addat supra ipsum: Sed ille qui omisso audire sacrum diebus profes- sis, in quibus nulla est obligatio audiendi, li- berè omisso, & æquè liberè, ac cùm omisso illud audire in die festo, in quo urget obligatio præcepti: Ergo voluntariè omisso.

47. Ad objectionem respondeo distinguendo Ma-

A jorem: Quod est in potestate voluntatis, vo- luntarium est, in potentia, concedo: in actu, nego. Similiter concessa Minor, distinguo Consequens: Ergo etiamsi non sit præceptum, omisso est voluntaria: in potentia, concedo: in actu, nego.

Solutio patet ex dictis in prima suppositione: duplex enim, ut ibidem diximus, datur voluntarium; unum in potentia, ad quod sufficit poten- tia seu facultas ipsius voluntatis; aliud in

B actu, quod requirit aliquem influxum seu cau- salitatem voluntatis, per quam ipsius facultas reducatur in actu: cùm autem seclusò præcep- to nullus detur actu voluntatis, ad omissionem etiam indirectè terminatus, ut suprà often- dimus, illò remotò, omisso est voluntaria solum in potentia, non verò in actu, de quo solum est controversia. Ad probationem in contrarium dicendum est, quod sicut voluntarium aliud est in potentia, aliud in actu, ita & dominium:

primum habemus respectu corum quæ non pro- cedunt actu à voluntate, sed possunt procedere; secundum verò respectu corum quæ actu ab illa procedunt. Unde distinguenda est Minor: ejus quod est in potestate voluntatis domini sumus: in potentia, concedo: in actu, nego. Similiter ad confirmationem distinguo Majorem: qui omittit liberè in actu primo, omittit volun- tarie in actu primo, concedo: voluntarie in actu secundo, nego. Idem ad Minorem, & ad Con- sequentiam. Eòdem ergo modò ille qui omittit audire sacrum diebus profectis, in quibus nulla est obligatio audiendi, omittit voluntarie, quo omittit liberè: non omittit verò liberè, nisi in actu primo & in potentia, siquidem libertas illa non est exercita: Ergo nec volun- tarie.

D Objicies secundò: Omisso est voluntaria in- directè, quando est obligatio & præceptum: Ergo etiamsi cùm non sit præceptum, voluntaria erit. Probatur Consequentia: quia præcep- tum, cùm sit quid extrinsecum, non reddit omissionem voluntariam aut volitam, imò potius quantum est de se voluntatem avocat ab illa.

Confirmatur: Omisso ante præceptum est vo- luntaria & libera: Ergo ut sit voluntaria, non re- quiritur præceptum. Consequentia patet, Ante- cedens probatur. Præceptum non datur nisi de actu voluntario & libero: Ergo antequam ali- quis actu cadat sub præcepto, debet esse vo- luntarius, & liber, & per consequens etiam ejus omisso ante præceptum debet esse voluntaria.

E Ad objectionem, concessò Antecedente, nego Consequentiam: nam quando est præceptum, omisso inducit rationem privationis, atque adeò continetur in actu incompossibili tanquam in causa, v. g. omisso Missæ in studio aut ludo; unde cùm voluntas diceret terminatur ad talem actu, indirectè & virtualiter terminatur ad omissionem: quando verò non est præceptum, omisso est pura negatio; & sic non continetur in actu incompossibili, tanquam in causa; atque adeò nisi actu directè sit volita (de quo non dis- putamus in præsenti) non potest esse actu vol- ita, nec actu voluntaria, ut in prima proba- tionem conclusionis fuisse expendimus. Ad proba- tionem in contrarium dicendum est, quod licet præceptum sit quid extrinsecum, & vo- luntatem avocet ab omissione, est tamen con- ditio & causa, ob quam omisso ad voluntatem omittentis

47.

48.

49.

DE VOLUNTARIO ET INVOLUNTARIO.

27

omittentis per se & moraliter pertinet; unde sicut licet praeceptum quantum est de se, avocet voluntatem à peccato; si tamen non est praeceptum, omisso peccatum non est; ita nec est voluntaria sine praecepto & obligatione.

50. Ad confirmationem respondetur, quod omisso ante praeceptum supponitur voluntaria & libera in potentia, non verò in actu. Ad probacionem in contrarium similiter dico, praeceptum esse de actu vel de omissione voluntaria & libera in potentia, & in actu primo, hoc est, que possunt liberè exerceri, siveque praeceptum omissionem liberam & voluntariam supponere: verutamen ut omissione in actu secundo & in exercitio sit indirectè voluntaria & libera, necessaria est obligatio praecepti; sine hac enim habet rationem puræ negationis, adeoque non continetur in actu incompossibili cum eo qui omittitur, tanquam in causa.

51. Dices: Omissio potest esse directè voluntaria absque praecepto & obligatione, ut patet cum quis in diebus profestis habet expressam voluntatem non audiendi Missam: Ergo etiam poterit esse indirectè voluntaria, absque ullo praecepto & obligatione; non enim est major ratio unius quam alterius.

Sed nego consequentiam & paritatem: Ratio autem discriminis est, quia quando omissione est directè voluntaria, in illam per se tendit actus voluntatis; ac proinde etiam nulla sit obligatio, per se ad voluntatem spectat: At verò quando est indirectè voluntaria, cùm in illam per se non tendat voluntatis actus, sed tantum ratione causæ, debet aliunde habere per se connectionem cum voluntate, ad illamque, ut ad causam per se spectare; quod non habet nisi ratione obligationis praecepti, ut patet ex supra dictis.

52. Objicies tertio: Quotiescumque aliquis vult aliquam causam, vult etiam indirectè & interpretativè ea quæ ex illa necessariò sequuntur: Sed omisso Missæ necessariò sequitur ex actione incompossibili cum ejus auditione, putè ex studio, ludo, punctione, aut venatione: Ergo qui vult directè hujusmodi actiones exercere, tempore quo celebratur Missa, indirectè & interpretativè vult ejus omissionem, quamvis tunc nulla sit obligatio præcepti. Minor patet, Major probatur. Qui vult antecedens, necessariò vult consequens quod necessariò infertur ex illo, maxime si prævideatur futurum, ut modo ponimus. Et hoc patet tum in naturalibus; qui enim v. g. est causa directa generationis, est causa quoque indirecta corruptionis consecuta ad illam: tum etiam in moralibus, nam qui est causa emissionis sagitte, sine sufficienti diligentia, est indirecta causa homicidij subsecuti; & similiter sacerdos qui unicum Breviarium, quod habet præ manibus, voluntariè proicit in mare, interpretativè & indirectè vult non recitare Officium.

53. Respondeo, quod quando aliquis vult aliquam causam, formaliter quatenus causa est, & prout ex illa sequitur effectus, censetur quidem virtuiter & interpretativè velle talem effectum; scilicet tamen si non vult illam causam, formaliter quatenus causam. Patet hoc variis exemplis: licet enim artifex sit causa statuæ, & huic conveniat motus deorsum; talis tamen motus non dicitur esse ab artifice ut à causa, quia non convenit statuæ ut ab artifice est, sed solum materialiter, quia videlicet est materia gravis. Item et si

A anima velit & cauet motum tibiae curvæ, non tamen ejus obliquitatem & defecutum; quia ille non sequitur per se ex influxu animæ, sed per accidens ex virtute tibiae. Deus etiam licet cauet materiale peccati, non tamen cauet ejus malitiam & deformitatem; quia non vult nec cauet illud materiale, ut ex illo sequitur deformitas, sed solum ut habet rationem actus & entis creati & participati. Idem ergo cum proportione dicendum est in proposito: Ille enim qui nullò stante præcepto vult actionem incompossibilem cum auditione Missæ, putè studium, ludum, punctionem, venationem, &c.

B non vult illam formaliter ut causam omissionis Missæ, & prout ex illa talis omissione sequitur, sed solum ut materialiter & concomitante ad illum se habet: tum quia seclusò præcepto omissione habet rationem puræ negationis; ae proinde in nullo tanquam in causa propriè continetur: tum etiam, quia alius ille non solum indirectè & interpretativè vellet omissionem Missæ, sed etiam omissionem omnium aliorum actuum cum studio vel ludo incompossibilium, quod absurdum est, ut supra annotavimus. Unde non est simile de eo qui Breviarium proicit in mare, vel qui emittit sagittam sine sufficienti diligentia: quia cùm in tali subiecto sit debitum recitandi Officium, vel abhendendi sufficientem diligentiam

C antequam mittat sagittam, illa Breviarij projectio, vel sagitta emissio, non est tantum voluntaria absolute, sicut studium impediens auditionem Missæ, quando non est præceptum audiendi, sed & voluntaria ut causa omissionis, vel occisionis sequentis. Ex quo patet ad probacionem Majoris, que potest hoc modo distinguiri: Qui vult antecedens, quatenus est causa consequentis, vult etiam consequens, concedo: qui vult antecedens absolutè, vult etiam consequens nego.

Quærunt huc aliqui, an possit dari omissione culpabilis absque omni actu qui sit causa vel occasio illius? Sed quia haec difficultas etiam per tractari solet infra qu. 71. art. 5. ubi S. Doctor querit utrum in quolibet peccato sit aliquis actus, ad hunc locum eam rejicimus.

ARTICVLVS IV.

An violentia seu coactio possit à Deo inferri voluntati?

POST QUAM

D. Thomas

Tribus articulis

Praecedentibus rationem voluntarij, omneque conditiones ad illud requisitas exposuit, articulo quarto, & sequentibus agit de involuntario, & de causa ejus; quæ possunt esse quatuor, scilicet violentia, metus, concupiscentia, seu passio vehemens, & ignorantia: sicut enim voluntarium caufatur ex duplice principio, scilicet ex appetitu operante, qui est principium intrinsecum, & ex cognitione dirigente; ita oportet quod opositum ejus, scilicet involuntarium, caufetur ex oppositis principiis, & proveniat vel ex eo quod operatio est à principio extrinsecō, ut contingit in his quæ ex violentia aut metu fiunt; aut quia tollitur, vel ligatur, aut turbatur cognitionis, sicut fit per ignorantiam aut passionem. De his ergo quatuor causis involuntarij breviter hic est agendum, incipiendo à violentia, seu coactione, quæ prima & præcipua est. Unde sit

N